



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

Ethicæ Tractatus Quartus. De Passionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](#)

ETHICÆ

Tractatus Quartus.

De Passionibus.

PROOEMIUM.

Duæ sunt partes humanae conditionis: agere in corpus, & pati à corpore, de quibus & in Metaphysicâ & in Tractatu Ethico 1. circa inspectionem nostram pluscula diximus; posterior pars complectitur sensus & affectus, & hos quidem potiore jure, quia ideo specialiter etiam passiones vocantur apud omnes homines.

Parva vero inter sensum & passionem est diversitas: convenienter I. Quod ambo dicant perceptionem aliquam nostram, qua non est aliud, quam certus modus habendi, quo nos habemus intus, & in mente seu animo, cuiusmodi per conscientiam qua illum in nobis intime sentimus concii & certe redimur: veluti cum video, tali aliquo modo me habeo, cum amo tali aliquo alio modo me habeo,

E habeo, quos modos in me per conscientiam evidentissime recognosco; 2. Conveniunt in eo, quod ambo (sensus, inquam, & affectus) nobis obveniant à corpore nostro, ita ut si eo careremus, modis quoque illis omnibus nos carituros esse clare intelligamus. Sed differunt in eo, quod perceptionem sensus soleamus referre ad res externas, tanquam inde provenientes, & plerumque cum existimatione, quod ea res similiter affecte sint, similemque habeant modum aliquem, quem nobis ingerant (sic cum videmus lumen, perceptionem seu speciem illam referimus in solem, ignem &c. existimantes ipsa tali specie imbuta esse) perceptionem vero, quæ in affectu seu passione reperitur, atque illam speciem non referimus ad res extra nos positas, nec existimamus eas quidquam simile in se habere: E. G. inimico obviam facti, licet odio ejus vel timore percellamur, non existimamus, ipsum in se talem habere speciem, qualis nobis occasione ejus incutitur.

J. I. Pas.

78 *Passiones sunt extra genus morum*, §. I.

§. I. *Passiones sunt extra genus morum.*

Stoici censebant omnes Passiones esse malas in genere moris. Peripatetici moderatas Passiones bonas esse dixerunt, immoderatas in vitio posuerunt: ambo vehementer errant: si quid enim hic mali esset, non nobis, sed Deo imputandum esset: quod absurdum, consistit enim in hisce bona pars conditionis humanæ, & fere potissimum per illas homines sumus. Et demptis hisce unâ cum sensibus, non est, quod nos amplius homines esse existimemus, sunt igitur in genere naturæ admodum bonæ Passiones, licet quædam nobis injucundæ sint, seu male affidentes (ut dolor, timor &c.) & in genere morum nobis neque bonæ neque malæ sunt, sed habent se sicut videre, & audire &c. propter quæ nemo probus aut improbus vocatur.

Sed dices, Passiones quædam sunt turpes, libidinosæ, obscenæ, nefariæ, quibus homines ad facinora, cædes & horribiles incestus concitantur. Resp. Quod concitantur ab illis, hoc malum est; ipsæ vero Passiones in se non sunt malæ; tantum enim continent in se certam perceptionem,

ptionem, nobis obvenientem à corpore,
& necessario in nos derivatam, non tam à
corpore (quod res bruta est, & per conse-
quens nihil potest vera efficientia causare)
quam ab auctore corporis, conditionisque
nostræ humanæ. Quod vero nos Passio-
nes nostras sequamur, hoc turpe est: quia
auctor noster non voluit, ut iis abducti
aliquid ageremus aut agere omittremus.
Sed totos subjecit nos Rationi, voluitque
ut ex præscripto ejus omnia & faceremus,
& facere omittremus. Sicuti sensus cum
nobis dedit, noluit tamen iis nos in veri-
tatis indagatione, sed innatis nobis notio-
nibus & ideis uti: unde incidenter patet
eodem loco esse habendos eos qui sensum
sequuntur in Philosophia, atque eos, qui
Passiones suas sequuntur in Ethica.

N.B. Non tantum sequi nos sæpenume-
ro Passiones nostras; sed habere etiam ma-
gnam propensionem ad sequendum eas:
quæ est veluti effæminatio quædam no-
stri, qua non satis ad Rationem, quæ sola
nos movere deberet, attendimus, semper
que vacillamus, an ductui ejus obsequi ve-
limus, an ei nuncium mittere; magisque
semper ad ea inclinamus, ad quæ passio
trahit. In qua propensione, effæminatio-
ne & vacillatione magna inest turpitudo:
quam

80 *Passiones sunt extra genus morum*, §. I.

quam quidam non bene ab ipsis Passionibus distinguunt, quidam turpitudinem illam, quam sibi ipsis imputare debuerant, in Passiones suas, auctoremque earum Deum (nam hoc inde consequens est) retulerunt. Est igitur in libidine V. G. carnali (quæ passio quædam est admodum vehemens, præsertim in juvenibus) sensus quidam sive perceptio: & hactenus nihil mali sentit; deinde propensio quædam ad standum in ista Passione, seu delectatione ad aliam, quo ea quasi impellere videtur, exequendum; & in his omnibus turpitudo atque peccatum est.

Unde fit etiam ut honesti homines atque ingeniosi, quarundam Passionum conscientia commoti erubescant, atque pudore suffundantur, quod non ex sensu, quod Passiones in se experiuntur, fieri dicendum est, sed ex propensione deserendi Rationem, & sequendi Passionem, quam simul in se persentiscunt. In hac enim propensione, & (ut vocavimus) effæminatione non leve (nota) propudium est.

Petes unde propensio ista in nobis?
Resp. Quia infantes nati sumus: inde enim factum, ut sensibus atque Passionibus ante quam Rationibus (ut alibi forte demonstrabimus) adhæserimus. Sed cur infantes

, §. 1.
sionis
em il-
rant,
arum
t) re-
. car-
odum
) sen-
us ni-
edam
lecta-
re vi-
nibus
es at-
con-
udo-
uod
cen-
i Ra-
m si-
pro-
atio-
bis?
inde
ioni-
forte
d cur-
antes

Actio ex Paſſione, §. 2.

82

infantes nati sumus, & non potius viri cum
pleno uſu Rationis? hic Philoſophia ſiftit.

NB. Ex Theologia notum eſt, primos
noſtrós parentes creatos fuifſe non infan-
tes, ſed adultos, quia perfecta erant Dei
opera: Poſt lapſum vero mox infantes
prodiere, & infantes fuerunt omnes, quos
generaverunt. Vide annotata noſtra la-
tiora in Carteſium, præſertim ad §. §. il-
los, qui agunt de origine erroris §. 71. &c.

§. 2. Actio ex Paſſione.

VIT A V U L G I.

Vulgus quæ agit, ex Paſſione fere agit:
nam primum quidem ad literas & in-
ſtitutum aliquod vitæ adiunguntur metu ſub
parentibus, præceptoribus & pædagogis.
Ubi aſſueti ſunt illi instituto vitæ, ſæpe
etiam amant illud, & per amorem & fami-
liaritatem (quæ item Paſſiones ſunt) ei ad-
hærēſcunt: & fortius adhuc agglutinan-
tur & agitantur metu insoliti, quo metu
vulgus omne maximopere perterretur:
uſque adeo ut plurimos eorum videamus,
cum vitæ conditionem mutare coguntur,
ſimul etiam vitam cum morte commuta-
re. Atque hic eſt primus ſive inſimus
gradus

c

gradus

gradus vulgi , qui in Officio continentur amore & familiaritate soliti , metu & horrore insoliti : & comparantur cum pueris , ac maximam partem populi constituunt.

Notandum etiam est , quam vulgus vocat conscientiam , esse meram Passionem : nempe stimulum & instinctum in animo id exsequendi quod Ratio jubet ; cui cum paruerunt , sedatur paululum ut solent aliae Passiones (quo casu dicunt se habere pacatam conscientiam) cum vero contraveniunt , cruciantur & urgentur (quo casu dicunt se habere turbatam conscientiam , aut stimulus conscientiae se agitari) quæ omnia similiter locum habent in aliis passionibus , sed cum ipsi vera diligentia careant , & nunquam satis ad Rationem ascultent , facile fit ut pleraque , in quæ per conscientiam stimulantur , sunt illis obscura : adeoque cum illis obscuris facile quædam alia obscura connectunt . V. G. cum obscure cognoscant , & quasi per nebulam videant hominem debere seipsum deserre ; hinc connectunt cum hoc obscuro dictamine persuasionem aliquam obscuram , sed insuper perversissimam (nam prius illud dictamen nisi obscurum esset , verum tamen erat) qua persuasum habent debere hominem seipsum excruciare , au-

sterè

sterè habere, atque hinc fere error com-
munis in omnibus fere religionibus homi-
num in se ipsos & sua corpora s̄avientium
(quem advertit etiam Scharronius in suā
sapientiā) lege de Turcis apud sepulcrum
Muhammedis, oculos sibi eruentibus qui-
busdam, aliter & misere se mutilantibus
vulnerantibusque. Lege infinita apud a-
lios talia. Quæ à Ratione non dictantur.
V. G. Ratio dictat non violandos alios ho-
mines, cum hoc dictamine Rationis obscu-
re connectunt, ossa sepulorum non esse
movenda de loco suo. Cui si contrave-
nerunt, putant hoc grande nefas esse, &
innumera sunt talia nullibi non in genti-
lium historiis nos occurentia. Qui igitur
conscientiam illam in vulgo sequuntur,
sine dubio non nisi Passionem suam se-
quentur: vocantur interim religiosi &
sancti.

Atque hic est secundus gradus vulgi, &
nidulatur maxime in primo gradu: tam-
diu tedium enim horrent conscientiam
suam, quandiu insolita sunt facinora, ita
ut hic maxime vigeat metus insolentiæ:
comparantur autem cum fæminis, in qui-
bus etiam hic affectus magis elucet.

Tertius gradus vulgi est eorum, qui
metum illum insolentiæ per contrariam

audaciam & temeritatem nonnihil infre-
gerunt: atque hi pericula etiam adeunt &
insolitis non adeo perterrentur, & si mul-
tum hic profecerint, de una conditione in
aliam errant, & metu verso in id omne,
quod assiduum est, & constans vagabundi
censentur. Quod si eosque metum in-
soliti abjecerint, ut hinc etiam mortem
contemnere ex temeritate & audacia as-
fuescant, fiunt milites, atque hi vel probi
apud vulgum si gloriosi sint, si vero etiam
gloriā contemnant, fiunt latrones &
prædones, hic tertius gradus in vulgo est
virorum.

Quartus denique gradus est vulgi eo-
rum, qui unam Passionem aliâ Passione
temperant & moderantur: V.G. si timeant,
nimis ut se in Officio contineant, auda-
ciam accersunt, aut gloriā se exstimalant:
si ad voluptates aut libidines pronoſ ſe
ſentiant, abſtrahunt ſe metu infamiæ. Hi
vulgo sapientes & Philosophi videntur.

Sed hi omnes quantumcunque ſibi vi-
deantur moderati & compositi (ut in pri-
mo gradu) quantumcunque pii & religiosi
(ut in secundo gradu) quantumcunque ge-
nerosi & acres (ut in tertio gradu) quan-
tumcunque sapientes & cauti (ut in quar-
to gradu) omnes ſunt turpes & ſcelesti
pecca-

peccatores, nihil agentes ex Ratione, sed
omnia ex Passione.

§. 3. *Actio contra Passionem.*

VITA PHILOSOPHICA.

Cum Philosophi animadverterent, vul-
gum ex Passionibus semper agere,
contrariam viam insistere decreverunt, &
contra Passiones suas agere conati sunt:
& sic quidem non sapuerunt, sed splendi-
dius & aliter quam populus insanierunt:
imo per ambages & quasi per circulum eo-
dem, quo populus, contra quem ire vi-
debantur, decurrerunt ut patebit.

Quidam horum Philosophorum Pas-
siones omnes suas extirpare aggressi sunt
(quales fuere Cynici & Stoici) in quo est
manifesta dementia, quia extirpari non
possunt Passiones, nisi totum corpus abji-
ciatur, & humana conditio penitus excu-
tiatur: quod non licet ut Tract. i. Oblig.
2. demonstratum est. Si vero in huma-
na conditione permanere certum fit, Pas-
siones excuti non possunt, utpote quæ
bonam partem istius conditionis consti-
tuant. Denique Passiones illæ non sunt
malæ, sed in genere quidem moris adia-

c 3 phoræ,

36 *Actio contra Passionem*, §. 3.

phoræ, in genere autem naturæ etiam bonæ, & quas pati eodem jure tenemur, quo homines esse jussi sumus, vide §. 1.

Alterum igitur genus Philosophorum Paulo sapientiorum, non extirpare quidem Passiones, quod & insanum & impossibile aut illicitum esse demonstravimus; sed saltem actiones illas omittere, & tantisper suspendere decreverunt, ad quas se Passione aliqua concitari sentiebant. Quorum ex numero Plato, cum puerō peccanti; vapulares, inquit, nisi irasperer: id innuens, se non velle castigationem illam exequi, nisi justa esset & Rationi consentanea, ad quam se ira & vindictæ cupiditate instigatum videbat. Sed nec his sapiunt: si enim actio omittenda, quia passio aliqua ad eam urget, saepe elabetur opportunitas & occasio bene agendi, ante quam passio illa subsidat. Deinde boni viri non est propter Passiones agere, sed nec omittere propter illas aliquid, sed mere propter Rationem, sive interim passio cum Ratione conspiret, sive contra Rationem faciat.

Alii inter hosce interjecti & intermedii quasi Philosophi, Passiones quidem non extirpandas, sed tantum contra eas agendum esse decreverunt: Hi Cynicis, Stoicisque

cisque minores insanâ : Platonicis majo-
res: suntque rursus duum generum: nam
quidam generatim contra omnium sua-
rum Passionum propulsionem agere decre-
verunt (quod genus mortificationem vo-
cant) veluti si cibus delicatus cum cibo
injucundo appositus fuerit, potius vesce-
rentur injucundo , si convitum quis fece-
tit, assentabantur potius , quam objuga-
bant: & ita de reliquis suis Passionibus : in
eoque modo agendi exercent & se & di-
scipulos suos quam austerrissimè: alii sal-
tem aliquibus Passionibus bellum indixe-
runt: quibusdam, inquam, perpetuo con-
travenire : aliis vero liberum cursum &
veluti frænum dare decreverunt , præser-
tim Passionibus ad pastum & venerem ,
itemque ad gloriam pertinaciamque ali-
quam , seu constantiam in eo quod incep-
tum est pertinentibus, rigidissime contra-
venire non sine dicto sacramento decreve-
runt: & hasce tres Passionum species ; pri-
mam fere carnem vocant, secundam mun-
dum , tertiam Diabolum , quibus se oppo-
nunt juramento & promissione abstinenti-
ab iis , quæ ad venerem pertinent , quæ ad
dignitates ad munia publica , itemque fa-
ciendi non quod sibi, sed quod alteri alicui
videbatur.

88 *Agio contra Passionem*, §. 3.

Nota Peripateticos in hunc censum non venire : vix enim illi in Ethicis nomen Philosophorum merentur : sed sunt tantum sapientior populus : itaque posuimus illos in quarto & supremo gradu prædenti §. ubi de vita Vulgi agebatur. Hi enim proprie sunt, qui passionem passione temperant & moderantur : adeoque quædam Virtutis Officia obire videntur : sed Officia informia, utpote quæ non ex Rationis instinctu, sed impulsu passionum atque libidinis obeunt.

Atque ita rursum quatuor gradus Philosophorum recensiti sunt, nempe Cynicorum, Stoicorumque : secundo Platonicum, & denique duo gradus (sic se vocant) mortificatorum : & Cynici quidem comparantur cum tertio gradu vulgi : Platonici vero cum quarto, id est cum sapientibus, reliqui gradus ad alios reduci possunt : cum quibus majorem habere vellebuntur analogiam : atque in his omnibus gradibus nil, nisi turpitudo & peccatum : omnes qui rursum ex Passione agunt: licet ipsimet hoc non satis animadventant: obtinetque hic tale aliquid, quale Plato olim Diogeni, Platonis fastum conculcare se dicenti (conculcabat autem Platonis tapetia) calcas fastum meum majore

majore fastu : sic illi etiam in Passiones agunt majori Passione : omnia hæc ut vidi-
mus contra Rationem sunt ; igitur ex Pas-
sione sunt. Quotiescumque enim delibe-
rate agimus , aut Ratio nos agit , aut pas-
sio aliqua , ad minus , libido agéndi , dum
sic agimus , quia sic placet agere , quod
etiam atque etiam inculcandum est ho-
minibus.

§. 4. *Actio præter Passionem.*

VITA CHRISTIANA.

Qui verè probi sunt (ut Christiani sunt , cum non nomine tantum , sed re hoc sint , quod esse dicuntur) nec ex Passione agunt (in quo est manifesta impo-tentia & effæminatio) nec contra Passio-nem agunt (in quo est manifesta insanía aut immanitas) sed præter Passionem: præ-termittunt enim quodammodo eam & nul-lâ consideratione dignantur: sive absit pas-sio , sive adsit , eâ de re ipsi non laborant , id agunt , quod jubet Ratio , & hoc unum curant : itaque si irascantur , non ideo ver-berant (quod vulgi est) nec ideo abstinent à verberibus (quod maxime sublimium Philosophorum est ,) non dicunt cum e s vulgo ,

90 *Actio præter Passionem*, §. 4.

vulgo , vapulabis quia irascor ; nec tamen cum Philosophis dicunt , vapulares nisi irascerer : sed dicunt : vapulabis, quia Ratio jubet te vapulare à me ; *sive interim ego qui verbero irascar sive non* , aut dicunt, non vapulabis : quia Ratio vetat : *sive interim ego tui miserear sive non* : quod propositum quantam spiret generositatem, quam virum bonum undique sapiat, nemo est, qui non facile capiat.

Hinc interim patet bonos sæpe agere cum Passione : nunquam vero ex Passione : passio (inquam) actiones eorum sæpe comitatur : non vero usquam actionibus eorum dat causam , sed sola Ratio est, cui id juris esse voluerunt , ut actiones eorum jubere vel inhibere posset : Patet etiam arduum esse negotium hic & difficile non ruere hic aut cadere. Cum enim Passiones naturaliter actionibus nostris conjungantur, facile fit , ut quæ comitari debent, præcedant, quique cum castigare inceperant, pergunt ex ira castigare, qui cum delectatione opus etiam aliquod piuum & bonum aggreditur, perficiat illud ex delectatione : atque ita profecto, cum rem bene examinamus , natum est fieri in nobis.

Dices Passiones turbant diligentiam
seu

seu auscultationem Rationis : tritus enim est ille versiculus & verus :

Pluribus intentus , minor est ad singula sensus.

Cum igitur mens Rationem auscultat , magnopere sensibus & Passionibus inter turbatur ; ut clarum est in publicum prodeunti , & diversi generis hominibus occurrenti ; sentit enim difficillimum esse , aut fere impossibile tunc temporis Mathematicam aliquam demonstrationem discutere , & quod Ratio dictet in omnibus attendere ; ergo probi debent abarcere , extirpare suas Passiones , ut primæ parti Virtutis vacare possint , id est diligentes esse .

Resp. Probos satis extirpare & abjicare suas Passiones , quantum scil. hoc ad diligentiam requiritur , cum eas in considerationem non admittunt (non sunt illis à consiliis) nec sinunt eas occasionem aut causam dare suis actionibus. Et cum probi non attendunt ad dictamen , & ea , quæ suggesterunt Passionem , tandem silent & evanescunt ; pari modo ac eum quis aliquem alloquitur , alter tamem non respondet , neque respondere vult , nisi aliter interrogare pergit ; tum tandem desinit si letque , lassus surdo narrare fabulam. Sic

92 Actio preter Passionem, §. 4.

similiter Passiones, cum à causâ aliqua, non
vero ab animo proborum excitantur, tan-
dem desinunt defectu alimenti, si aut causa
(quod fere semper) deficiat, nec à mente,
quia non nisi Rationi auscultat, vel ullum
accipiunt pabulum. Deinde mens humana
cum incidit in volubilitatem illam cogita-
tionum, quæ ad sensus & Passiones referun-
tur, & ea ineffabili Dei consilio data sit,
æquo animo hanc ferre suam conditionem
debet, & longanimitate quâdam uti, ac
patientiâ: sæpiusque & repetitis vicibus
Rationem auscultare cum studio & labore,
& ut Sacra loquuntur; *in sudore vultus*
sui, ut ita multis attentionibus id assequa-
tur, cui percipiendo unica attentione par-
esse non potest: & meminisse debet, at-
tentionem suam non re & successu, me-
tiendam esse, sed animi sui proposito & in-
tentione, ut si quid in objecto lateat mali-
tiæ, quod eam post adhibitum diligens
examen, & quale humana conditio ac vo-
lubilitas cognitionum patitur, fuerit, id
ei imputari non posse. Vide plura hanc
in rem in annotatis Cartesii, §. 73. parte 1.
Ipsas vero Passiones secundum se expelle-
re velle, est se ipsum humanâ conditione
exuere velle, quod nefas, aut rem impos-
sibilem attentare, id est, hominem velle
esse,

esse, & tamen humanitatis parte aliquâ carere velle, quod insanum, ut satis supra demonstratum est: cui & illud accedit, quod Passiones plerumque cum illis oblitamur, incrementum sumant, & quasi efferentur magis: quod in verecundia & libidine tam est manifestum, ut nullâ tergiversatione possit occultari, qui si erubescere cæperunt, & niti contra pudorem suum directe volunt, tanto plerumque magis erubescunt & consternantur: ut satius est animum ad aliam aliquam cogitationem deflectere, quam pugnam cum Passionibus, dum eæ nos conturbant, & in auscultatione Rationis, aut officiorum nostrorum executione impediunt, inire: hoc vero est eas in considerationem non admittere, promiscuas habere eas, & sive absint, sive adsint, inter agendum, quod muneric nostri est, nihil pensi ducere.

Sicut igitur cum de rebus Spiritualibus cogitamus (V. G. de mente nostrâ, de Deo, de æternis veritatibus) obversatur idolum aliquod, seu species & imago quædam phantasie, quam qui bene intelligunt, satis sciunt in res illas Spiritualiter, quæ menti obversantur, non quadrare, unde nec affectant illam speciem, quia tantum impedire possunt genuinam rerum Spir-

94 *De hostibus Virtutis, §. 5.*

Spiritualium cogitationem : nec etiam expellere tentant , quia hoc non impetrarent , potiusque illo conatu vivacior & expressa magis redderetur illa species , sed sinunt modo , & nullam ejus ducunt Rationem , atque ex ejus contemplatione , nec ajunt aliquid nec negant , sed omnem suam conclusionem ex idea & notione innatâ derivant : sic etiam circa Passiones suas affecti sunt boni , non conantur illas extirpare (frustra hoc esset , & conatu isto extirpandi firmius , quas extirpare vellet , impingerent) non etiam se conformant ipsis Passionibus , aut iis morem gerunt , non iis abduci se sinunt (nam hoc turpe foret , & in vitio atque peccato) sed sicuti se erga seipso habent , (id est , mere negative) sic enim se erga suas Passiones habent , non admittunt eas in considerationem , non curant , non laborant de illis dum agendum aliquid est , absint , vel absint , susque deque habent .

§. 5. De hostibus Virtutis.

Hostes Virtutis non sunt Passiones nostræ , (ut præter meritum suum apud vulgus audiunt , & vulgo hic accedunt Stoici) sed *inclinationes, proclivitates & propensiones*

pensiones nostræ ad agendum aliquid vel o-
mittendum, propter Passiones: quas pro-
pensiones cum ipsis Passionibus imperi-
tè confundentes, totam Ethicam, imo
ausim dicere totam Pietatem imprudenter
evertunt.

(Nempe id, cuius, solum Deus O. M.,
auctor est (nempe ipsarum Passionum &
specierum nostrarum) confundunt cum
eo (pravis nempe cum nostris inclina-
tionibus, quas Passionibus & speciebus,
illis adjungimus) cuius nos turpes & sce-
lesti auctores sumus. Atque adeo Deus,
implicite semper auctor peccati agno-
scitur; cuius nequissimæ persuasionis,
quandiu vel minimum semen humanis
animis insidet, fieri nequit, ut veram
unquam Pietatem concipient; sed tan-
tum horreant necesse est, & detesten-
tur, quem ut auctorem peccati, & vin-
dicem acerbum ejus, quod impegerat,
tantum considerare possunt.

Sicut ergo à sensu resecanda est pravi-
tas illa, qua ferimur ad speciem ejus ap-
plicandam objectis externis, quæ occa-
sionem præbent isti speciei (quod alio loco
demonstravimus) sic etiam à Passionibus
detrahenda est illa inclinatio nostra, qua
nos ita inclinatos sentimus, & quasi vio-
lentiâ.

lentiâ quadam impulsos ad faciendum, omittendumve aliquid gratia Passionum, seu propter ipsas Passiones: & qui quidem hunc errorem errant, totam Ethicam evertunt, ut diximus: sic & illi, qui alium istum, quem statim notabamus errorem errant, totam Physicam evertunt: quod illis, qui veram Physicam, (quam Cartesius reduxit) excoluerunt, satis perspectum esse potest.

Habent autem alii aliarum Passionum proclivitates (ut quidam iracundi, id est proclives ad vindictam prosequendam, quidam libidinosi, id est, proclives ad agendum aliquid ex gratia libidinis seu Veneræ Passionis, alii metieulosi, id est, propria ad fugiendum, aut deserendum statuonem, & similia alia propter metum exequenda. Et sic de aliis: Dicunt autem his stimulari se ab ira ad vindictam sumendum, à libidine impelli ad stupra, à metu ad fugam, sed vehementer errant; non enim ab his suis Passionibus, concitantur in has vel illas actiones. Unde non sunt aliæ in aliis proclivitates ad obtemperandum Passionibus, sed similis atque eadem fere in omnibus proclivitas, corpus vero aliter atque aliter dispositum est ad has illas yæ Passiones. Sic quidam

quidam proclives sunt ad Venerem, alii non ad Venerem, sed ad vindictam: eadem in utrisque est proclivitas, scil. agendi aliquid gratia Passionis: sed in Venero homine corpus aliter dispositum est, scil. menti facile Passionem Venereum incutiat. Hinc pro diversitate regionum, ætatum, conditionum, exercitiorum &c. alii aliis vitiis dediti esse dicuntur, quia corpus aliis atque aliis Passionibus accommodatum est, in aliis atque aliis regionibus, ætatibus &c. cui antecedens mentis proclivitas, & propensio ad agendum gratiâ Passionis, alia atque alia exterius vitia producit.

Nulla ergo labes residet in ipsis Passionibus ut adhuc §. 1. hoc tractatu diximus, sed tota turpitudo in effæminatione, seu in proclivitate illa ad agendum ex Passione consistit. Animus enim velut connubio quodam cum corpore copulatus proclivitate illâ suâ ostendit se esse quodammodo virum uxorium, atque in ipsum quadrat illud Poëtæ:

Uxori nupsit turpiter ille suæ.
passiones enim obveniunt nobis à corpore, proclivem esse ad agendum propter illas, est propter corpus velle agere, & ei quasi assentiri ac ab blandiri. Proclivitas illa sine dubio.

98 De Carne seu Voluptate, §. 6.

dubio supponit aliquid (peccatum originale hoc vocant Christiani) hæc vide apud ipsos; ne nos ex Philosophiâ nostra exorbitemus.

§. 6. De Carne seu Voluptate.

Caro est proclivitas in bonum jucundum sine respectu ad alios, unde caro non est hic proclivitas in Venerem (ut alias etiam s̄epe nomen illud sumitur) sed generatim proclivitas in bonum jucundum qua tale, non considerando aestimationem, quam alii de nobis habeant; sunt autem præter Venerem alia bona jucunda multa, quas res secundas ante vocavimus. Vide Tract. 2. de Temperantia.

Sed inter res secundas solus homo respicit alios & aliorum de nobis existimationem, adeoque ille à consideratione carnis excludendus est. Rel quis igitur rebus secundis propter delectationem, quam in se continent inhiare, carnale est, etiam literarum & Philosophiæ studio, immo etiam Virtutum exercitiis & Officiis: ex quo facile liquet eos, qui rudem adolescentiam literis, Philosophiâ & humanitate excolendam susceperunt, vix tamen eos ad austерum Rationis dictamen parant, fabel-

fabellis autem & Musarum deliciis tenentur non procul à lenonibus abesse. Quibus (etiamsi duriusculum hoc forte videatur , verum tamen est) accensendi etiam sunt ii , qui Christianum populum amore illo Passionis , quem devotionem vocant (vide Tract. I. §. I.) ad cultum divinum allicere , in eoque stabilem & fixum continere conantur.

Nota vero non esse carnale dum rebus secundis ex præscripto Rationis vacamus , delectationes , quas nobis naturaliter injiciunt , admittere : sed carnale est illas captare , affectare , & rebus commemorationis propter earum delectationem vacare : quæ latius deducta vide Tract. 2. ubi de Imtemperantia & stupore.

Ex his etiam facile videmus , Carnem totum humanum genus invasisse , præser-tim vero infestat Adolescentiam & pri-mam ætatem ; non solent enim adolescentes , nec ad studia literarum , & multo minus ad Philosophiam & institutum aliquod vitæ amplectendum induci , nisi pellicie aliquâ Voluptate ; in qua arctius ad-huc adstringuntur per paedagogos & præceptores suos , qui ejus indolis non ignari , assentationibus , blanditiis Poëtarum , fabularumque illecebris inescante eos , aut potius

100 *De Mundo sive Gloriâ*, §. 7.

potius illaqueant, & quasi magnam rem
præstiterint: ac bene de republicâ & hu-
manâ societate meriti sint, cum ita credi-
tam sibi juventutem prostituerunt, illa-
quearunt, & Carni penitus manciparunt,
gloriantur, & amplissimis se præmiis dignos-
putant.

§. 7. *De Mundo sive Gloriâ*.

Mundus affectat eam oblectationem,
quæ ex aliorum hominum de nobis,
actionibusque nostris existimatione conci-
pitur. Cum vero existimationem illam
(utpote ab aliorum arbitrio penitus depen-
denter) facillime obtinere possumus, si iis
gratificati fuerimus; hinc mundani homi-
nes sæpe benefici ac munifici, bene de ci-
vibus suis ac republica merentur, sed in
his omnibus non aliud quam se quærunt,
nempe gloriam, existimationem, dignita-
tem, statum decorum, pompam & similia
imaginationis ludibria, figmenta chimæ-
ras, quæ difficulter verbis exprimuntur,
sed à mundanis hominibus, aut iis, qui
aliquando mundani fuerunt, facile intel-
ligitur, quod hic dictum velimus.

Caro igitur se tantum respicit, & sui so-
lā contemplatione ducitur. Mundus ve-
ro

to mentis oculum non altius quidem at-
tollit, sed latius tantum dispergit & disgre-
gat. Mundus inquam ad ipsum principa-
liter agit quod caro, se tantum intuetur,
alios ex accidenti respicit, eosque ad se
ordinat, ex iis metere cupit Gloriam, qua
se oblectet & suavietur. Est autem Car-
ni facilis in mundum descensus: natum
est enim fieri, quod vitæ genus ac insti-
tutum, mere quia placeret, luberet, oble-
ctaretq; (seu ut in linguis vernaculis hodie
loquimur mere propter contentementum
tuum) assumperas; eidem adhæreas,
postmodum omni talis oblectamenti con-
dimento per usum & longum tempus de-
cocto, itaque adhæres adhuc isti vitæ in-
stituto, ne te dicant male elegisse, ne te
varium & inconstantem dicant, & ut aliis
institutum tuum approbes, persuadeasque
bene tecum agi. Hoc vero est à Carne
ad Mundum jam devolutum esse. Hæc
enim insignis plerumque mundanorum
hominum nota est, quod cum se miseros
esse sentiant, idque etiam alii præsertim
boni & perspicaces intelligent, conentur
tamen id jugiter nobis persuadere & im-
ponere se felices esse. Recto corpore in-
cedentes & turgidi testari volunt corpus
suum bene habere, ei de spiritibus, qui-
bus

bus ceu præcipuis instrumentis munia hu-
jus vitæ exsequimur , abunde prospectum
esse , protiosis vestibus & supellectili , o-
pum ac potentiae ostentatione testari vo-
lunt , se posse corpori suo perpetuo sic
prospicere , cum aliqui Spiritus fluxi sint,
& è corpore facile dilabantur : quo spectat
etiam luxus, quo testari volunt, se in hunc
Finem non tantum satis , sed & plus quam
satis habere , fastu & fastidio erga alios
testari volunt se eorum beneficiis non in-
digere , se operam & auxilium eorum non
desiderare. Elato supercilio , torvis oculis
& frontibus testari volunt se securos esse,
se non timere , sed esse , quod alii à se me-
tuant , atque ita toto habitu corporis , vul-
tu, oratione ac gestu mentiuntur se beatos
esse : sed hi sunt adhuc simplices & rustici
mundani : sunt sane , qui existimationem
sibi & astutius longe aucupant , & felicius
consequuntur : si hæc dicenda felicitas est ,
& non potius servitus atque calamitas ,
quamvis à Carne in Mundum præceps via
sit , non perinde tamen à Mundo ad Car-
nem facilis est redditus : Raro enim solent
Mundani homines mere propter delecta-
tionem suam aliquid agere, aut in eo pro-
pter aliorum existimationem agere ince-
perant , mere ex delectatione & animi
gratia

gratia perseverare : unde Diogene olim nudum se in luto ac nivibus volutante, jubet Plato spectatores (qui Diogenem ex miseratione aut simili aliquo populari affectu inhibere conabantur) discedere : pollicitus brevi Diogenem destitutum sponte, si modo illi discessissent. Hodieque multi per Mundum (Officia, munia publica & statum) à Carne (Venere , pastu & studio voluptatum) liberantur: si hoc sit liberari, dominium mutare, imo & sub mi-
seriori tyrannide agere.

Ex dictis facile colligitur Mundum ma-
xime vigere in juvenibus & viris, atque adeo non tam multos occupat, quam caro, sed præstantiores : Mundus possidet florem humani generis (Romanos olim & heröes, etiam hodie tales aliquos cogita) imo quod miseratione humanâ dignum est, eos ipsos, qui optimi viri essent, si tantum Mundani non essent, si id solius Rationis & Dei contemplatione facerent, quod ad captandam popularem auram faciunt. Et Cicero patronus Gloriæ seu Mundi non dubitat asserere : *Optimus quisque maxime gloria dicitur*; sed fallitur, & hi non sunt boni, ast vani : *Recepérunt* (ut Veritas ait) *mercedem suam* (Gloriolam aliquam apud populum) non miseram mercedem !

§. 8. De

§. 8. De Diabolo seu Pertinacia.

Diabolus quid ad Ethicam faciat (quid & sacræ paginæ de eo dicunt, id & ibi lege , & piè crede) est proclivitas persistendi in aliquo agendi genere , merè quia incepisti sic agere. Cum nempe non oblectatio te amplius (quod carnis erat) non Gloria aut existimatio (quod Mundi erat) retinet in proposito ac instituto semel agendi genere , sed mera pertinacia , & pergis tantum quia incepisti , nisi forte tædia, infamia, damna, paupertas, morbi sequantur. Est autem à Mundo ad Diabolum facilis descensus : videmus enim persæpe, ut qui institutum aliquod vitæ austерum, horridum , ad captandam Gloriolam & existimationem assumpserant , cessante hac vanitate, cum nullus jam amplius defertur honos , cum nulla amplius populi admiratio , sed potius contemptus & irrisio , exoticis illis & affectatis actionibus rependitur , non posse tamen desistere sed pergere per salebras & confragosam viam, quia illam jam diu institerunt ; non equidem quod turpe putent resilire, (quam diu enim ea turpitudine & infamia moventur, tam diu adhuc in Mundo sunt) sed ut dixi, quia inceperunt & ab incepto desistere non

non possunt. Senes maximam partem Diabolus possidet: ei enim, quod in juventute Carne vel Mondo instigante arriuerunt vivendi genus, pertinaciter plerumque retinent: non quia placeat aut deceat, sed quia solitum sit, & quia sic agere diu consueverunt, & consuetudinem velut alteram naturam abrumpere, difficile sit.

Itaque caro adolescentes, Mundus viros, Diabolus senes & infestat plerumque & possidet. Subinde tamen ordo hic turbatur; & Mundus atque caro subinde in senibus, Diabolus in adolescentibus reperitur, imo unus idemque unius horulæ patio per tres illas Tyrannides devolvitur; & i. quidem carnis, deinde Mundi ac deniq. Diaboli mancipium fit. Quod in Cardinalibus voluptatibus, antomasticè sic dictis (Venere & pastu) ita manifestum est, ut manu prope tentari res illa possit. V. G. Compotare incipiunt, quia jucundum consortium, & potio suavis est (hic carnem intelligimus) sed hac delectatione persatietatem ablatâ, tamen potare non desistunt, quia indecens habetur, ante alios à consortio discedere, contra vero gloriosum est, mustum capere, & alios potando superare (hic Mundum audis)

f tandem

tandem etiam hoc retinaculo dirupto, cum jam non delectatio amplius, sed fastidium, non Gloria, sed infamia ex ebrietate, vomitu, molestia, qua hospitem & domesticos ejus afficiunt, adstantium irrisio & contemptus urgent, perpotare tamen pergunt, quia tam difficile est desistere ab eo, quod inceperunt, hic Diabolum intelligimus.

Ex his patet primo inter hostes Virtutis, Diabolum esse teterimum, maxime horribilem, mœroris, tædii & desperationis plenum, id est sine ullâ fere delectatione, sive solidâ (hæc enim à Virtute sola proficiscitur) sive fucatâ & apparenti (quia illa à Carne & Mundo provenit, quæ transierunt jam apud eum, qui Diabolo traditus est. Est interim in Diabolo etiam aliqua voluptas, sed horribilis, execrabilis & tetra: cum enim Ratio non dicet persistendum in eo, quod inceperis, cum ideo mere, quia incepisti, persistis, oportet te libidine aliquâ, & quia sic placeat atque lubeat, persistere in actione, quam incepisti. Ex quo & hoc incidenter videtur in reliquis hostibus Virtutis quodammodo etiam reperiri, & duo esse tantum genera, hominum, alterum carnale, & quod ob delectationem atque libidinem, & quia sic placet,

placet, agit; alterum Spirituale, quod
Spiritu, mente & Ratione agitur, nec un-
quam quia lubitum est, aut quia placeat,
sed quia deceat, atque ita agendum est
agit.

Patet secundo Diabolum, quantum est
ex natura sua, sempiternum esse, persiste-
re enim vult quia incepit, qui Diabolo de-
ditus est: sed hoc nunquam cessat quan-
tum est de se; semper enim inceperit,
itaque necesse est, semper ut perseveret,
qui ideo mere perseverandum esse sibi ju-
dicaverit, quia inceperit: ubi interim no-
tabilis se ingerit diversitas inter Diabolum
& duos reliquos hostes Virtutis: delecta-
tiones enim, quas caro, & pompæ, quas
Mundus contemplatur, admodum fluxæ
sunt & transitoriæ, postquam vero eva-
nuerunt, relinquunt post se acrem pæni-
tentiam: atque adeo sinunt hominem re-
sipiscere, dum eum quasi manumittunt, &
à servitute suâ absolvunt: quod in Diabo-
lo non habet locum cuius quantum de se
est, perpetua servitus est.

Patet tertio Diabolum astu & stratage-
mate infestum esse; ubi cæteri Virtutis
hostes aperto quasi marte nos aggrediun-
tur, nam Diabolus Philaretos seu Virtutis
amatores sub specie promotionis & majo-

ris in Virtute progressus , abducit à Virtute: suadet enim semper pergendum esse, quasi dicat & jugiter inculcat:

Quo bene cœpisti , fac pede semper eas.
Atque adeo Philaretos à defectu ad Medium Virtutis procedentes sub specie majoris boni ulterius concitat & urget in excessum , facitque ut quadret in illos illud Poëtæ:

Dum vitant stulti vitia in contraria curunt.

Quod Caro & Mundus nunquam attentant : pelliciunt hi etiam quidem Philaretos , & transversos abducunt à regia Virtutis via : (imo etiam adversos adoriantur aliquando , & idcirco minus metuendi, quod à fronte instent , & aperto Marte congregiantur) sed nempe transversos vel adversos non obeundos , & in Virtutis viam longius porrectos: nunquam enim sub specie Virtutis se ingerunt , sciunt & fatentur palam , sibi cum Virtute non convenire , quod Diabolus , ut vidimus nonnunquam astutè dissimulat , fingitque se Virtutis & cultorem , & promotorem esse.

Contra illam Diaboli fraudem ac seductionem , præsens nobis remedium ab oculu Rationis suggestur , ne quid nimis: quo monemur , ad quamcunque partem ac mate-

materiam Virtutis, nos inclinaverimus, ut cautè abstineamus à vitio, quod in ista materia ad excessum vergit V. G. constituisti liberalem te præbere? Ne *quid nimis*, cave ne sis prodigus. Constituisti frugalem te præbere? Ne *quid nimis*, cave ne avarus sis. Generose agere constituisti? Ne *quid nimis*, cave ne superbias. Modeste? Rursum ne *quid nimis*, ab ignavia & socordia tibi cave: atque ita semper (nunquam enim satis dicitur, quod nunquam satis discitur) ne *quid nimis*. Et notatu dignum est, oraculum non dicere: Ne *quid minus*, (etsi in defectu tantundem vitii sit, quam in excessu) sed dicit: Ne *quid nimis*, quia ab excessu majus periculum imminet, major ab hac parte Diaboli tentatio & seductio est: cum enim quis certæ alicui Virtuti, addicere se constituit, is jam defectui, qui Virtuti isti opponitur, tergum quodammodo obvertit, & à defectu illo ad Medium Virtutis procedit, unde providendum ei caute, ut in Medio sit, ne ultra Medium perget ad excessum, instante Diabolo, & pergendum, quia inceptum est, dictante. Sic V. G. si quis liberalem se præbere constituit, is jam satis hoc ipso avaritiæ nuncium remisit, tergum ei suum obvertit, pergensque ad ulteriora,

110 De Diabolo seu Pertinacia, §. 8.

primo quidem occurrit liberalitati, quasi
in Media via constitutæ; quam si ample-
ctetur, cui si adhæreat, bene habet, pro-
bus est Philaretus: sed si paulo ulterius
progrediatur (quod hic lubricum est &
perfacile ex Diaboli fraude, *perge & perge*
ingeminantis) incidit in excessum, nempe
in prodigalitatem. Et idem est de reli-
quarum Virtutum materia & Officiis. His
igitur Diaboli astibus & dolis abjiciat Phi-
laretus, scutum Rationis: memor hanc
non dicere: *Perge quia incepisti*, sed sæpe &
sæpius: *Desiste nisi inceperis, imo nisi opti-
me inceperis, desiste, aut perge; sed non ideo*
perge, quia incepisti, ast quia Deus jubet.
Scuto autem suo inscribat hoc oraculum.

NE QUID NIMIS.

Quod & nos finem huic tractatui fa-
cientes, adscribimus: *Ne quid nimis.*

ETHI-